



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Præambula ad veram sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

N. creta. Addi potest, quòd si Decretum Innocentij est Pontificium, cur Innocentius petijt à Generali Inquisitore Hispano, quòd ille suo, non autem Rom. Pontificis nomine, propositiones à se Romæ damnatas suo edicto in Hispaniâ damnet: certè si esset Pontificium, non egeret saltem ut declaratorium aliâ promulgatione, & multò minùs aliâ prohibitione: sed Innocentius petijt hoc ab Hispano Inquisitore, qui suo, non autem Papæ, nomine decrevit, & præcepit, ut Hispani implerent Decretum Innocentij, quòd sanè pliusquam otiosum esset, si Innocentij Decretum esset Pontificium, non minùs, ac si Parochus suis ovibus præciperet ea, quæ ipsè præcepit Episcopus: ergo tale decretum non est Pontificium. Minor probatur ipsi ferè edicti Inquisitionis Hispanæ verbis, quæ ad extensum recitantur à Filgu. in Lucernâ decretali in Anteloquio pag. 10. Nos D. Diego Sarmiento de Valladares Inquisidor General en todos los Reynos, y Señorios de su Magestad, &c. Por quanto Innocencio XI. en Congregacion General de la Santa, y Universal Inquisicion de Roma decreto, que debian ser condenadas, como condenò, 65. proposiciones.... Por tanto por las presentes mandamos a todas.... que cumplan el dicho Decreto. Ecce ad oculum, Generalis Hispaniæ Inquisitor non promulgat Decretum Romanum, sed aliud novum pro Hispaniâ edit; hoc enim significat, to mandamos por las presentes: ergo Decretum Innocentij non fuit Pontificium.

N. Hinc inferitur, quòd cum propter rationes adductas sit ad minimum valde dubium, an hæc Decreta Alexandri, & Innocentij sint Pontificia; & ex doctrina communi, in omni dubio saltem juris, præcepti, aut declarationis, lex, præceptum, & declaratio non obligent, quia melior est conditio possidentis, possessio autem est pro libertate; hinc cum dubium sit, an ea Decreta sint Pontificia, & multò magis, an sint definitiones Pontificiæ, consequenter, nec ut declarativa, nec ut præceptiva obligant, nisi eos, qui Romanæ, non autem Hispanæ Inquisitioni subiecti sunt: nõ ut declarativa, quia licet Decreta Papæ, ut Generalis Fidei Inquisitoris, sint gravissimæ autoritatis, hæc tamen autoritas est in docendo fallibilis; nam assistentia Spiritus S. non est promissa Papæ, nisi ut Capiti totius Ecclesiæ, non autem ut Capiti Inquisitionis Romanæ: non ut præceptiva, quia Hispani non sunt subiecti Inquisitioni Romanæ: ergo Hispanos non obligant; & ideo post Alexandri Decretum aliqui adhuc docuerunt aliquas ex damnatis, quia Decreta Alexandri non fuere ab Hispano Inquisitore pro-

mulgata. Quòd si Decretum Innocentij ut præceptivum obligat Hispanos, est, quia confirmatum, & innovatum fuit ab Inquisitione Hispanâ. Si autem quæretur, ad quid Decretum Hispanæ Inquisitionis Hispanos obliget: dico obligare eos sub gravi ad non sequendas, practicandas, docendas opiniones ab Innocentio damnatas, nam obligat ad implendum omnia, quæ Innocentius in suo Decreto præscribit. Similiter obligat non tantum sub gravi, sed etiam sub cenura excommunicationis latæ sententiæ ad denuntiandum Tribunali quemlibet, qui ei Decreto quomodolibet contraveniat. Hec ferè Complutensis Doctor, qui tandem concludit, quòd licet sententia hæcenus à se probata, videatur sibi probabilissima, attamen, ut illi certò se fidat, expectare aliorum iudicium, seque ignorare, cur hanc sententiam illi docere non audeant, qui suppresso nomine apud M. Lumbier, & P. Cardenas, Lumb. veram putant; neque enim quidquam de P. Card. trahit Papæ authoritati, in quem tam peccari potest per excessum, dicendo ejus Decreta esse Pontificia, cum constet non esse talia, vel saltem non constare esse talia, quam per defectum negando esse talia, dum constat esse talia.

§. II.

Praambula ad veram sententiam.

SUMMARIUM.

Papæ autoritas infirmatur à scrupulosis questionibus, n. 12.

Ubi agitur de rei quidditate, communi definitioni standum, n. 13.

Quid sit loqui ex Cathedrâ, & unde cognosci possit? n. 14.

Mens TT. ibid.

SEmp̃er in eâ sententiâ fui, quòd Pontificiis autoritas plurimum à scrupulosis questionibus infirmetur, non minùs ac veritas nimis subtilitatibus implicatur. Scio easdè à TT. non nisi sincere studio veritatis tractari; vereor tamen, ne ipsèd trices, quibus veritatem venari conantur, eandem potius opprimant. Explico me. Certum de fide est Papæ loquenti ex Cathedrâ, & totam Ecclesiam instruenti, infallibilem Spiritus S. assistentiam promissam, & Papæ ita loquenti cõco intellectus obsequio credendum. In hoc omnes TT. consentiunt. Jam rogo, quid utilitatis inde proveniat, an sine Concilio dicendus sit Papa loqui ex Cathedrâ? an ad locutionem ex Cathedrâ matura præcessisse debeat deliberatio? an ad maturam deliberationem

tionem necesse sit, ut Papa à TT. & Cardinalibus consilium petat? an antequam loquatur, debeat Papa certificari per miracula de veritate, quam loqui vult? an debeat particularem habere veritatis evulgandæ revelationem? an tantum in quaestionibus iuris, an etiam facti sit infallibilis? an ut locutio Papæ sit ex Cathedrâ, debeat uti voce *definitio*, *definitio*? Sanè hæc, & sexcenta alia dubia, quo curiosius Papæ ex Cathedrâ vocem scrutantur, eò vehementius inconcussam ex fide veritatem labefactant. Cum enim nullum ex recensitis, & non recensitis dubijs sit, quòd & in sui favorem Patronos, & contra se Adversarios non agnoscat, & plerumque tam Patronos, quam Adversarios solas congruentias afferre possit, si veritas Catholica de assistentia Spiritus S. promissâ Papæ loquenti ex Cathedrâ, ab illis pendet, unque vix unquam dabitur obligatio credendi Papæ loquenti ex Cathedrâ, nam negari potest dari circumstantias ad talem locutionem requisitas, cum plurimæ ex illis supponantur potius, quam probentur, aut probari possint. Ita accidit maiori longè evidentia, & periculo in præfenti. Velle, quòd ut Papa loquatur ex Cathedrâ, necessarium sit, ut ejus decretum non sit editum in Inquisitione, ut incipiat ad perpetuam rei memoriam, ut non sit subscriptum à Notario Inquisitionis, sed à Datario, ut sit motu proprio, & per specialem Bullam independentem ab Inquisitione emanatum, est tot, & tantis tricus authoritatem Papæ alligare, ut vix unquam constare possit, quandonam loquatur ex Cathedrâ, aut non loquatur. Si enim Doctor Complutensis, & alij suppressio nòmine, (apud Lumbier, Torrec. Cardenas, Moyam) dicunt Innocentium non loqui ex Cathedrâ, quia ejus decretum nò incipit, Ad perpetuam rei memoriam, non est subscriptum à Datario, non est per Bullam specialem, sed est editum in Inquisitione, signatum à Notario, &c. utique positis omnibus illis, quòd sit per Bullam, quòd subscriptum à Datario, quòd incipiat, Ad perpetuam rei memoriam, veniet alius, qui his non contentus, negabit his etiam positis Papam loqui ex Cathedrâ, vel quia non audivit Concilium, vel quia non audivit, nisi Romanos Theologos, non autem aliarum Universitatum, vel quia Papa, utpotè minime Theologus, non intellexit Theologorum decisiones; & sic actum erit de obligatione credendi, quæ Papa docuit: nam nulla datur obligatio credendi quòd Papa docet, nisi detur moralis saltem certitudo, quòd Papa doceat ut Papa: sed suppositis his, & alijs dubijs, à Tom. I.

quibus dependentem faciunt Pontificiam declarationem, vix unquam dari potest certitudo moralis quòd locutio sit Papæ ut Papæ: ergo ferè numquam dabitur obligatio credendi, quòd Papa loquitur, & ei obediendi. Nè ergo res Ecclesiæ, & Fidelium conscientijs adeo pernecessaria, qualis est Magisterium Papæ in materiâ fidei, & morum, reddatur incerta, & obscura, tria discutiam. Primum, quid sit Papam loqui ex Cathedrâ? Secundum, undenam cognoscere possimus eum loqui ex Cathedrâ, an tantum ut Doctorem, & Præsidem privatum? Tertium, an uterque Alexander, & Innocentius locuti sint ex Cathedrâ?

Circa primum, putabo me satisfecisse, si N. sensum Theologorum referam; in quaestio-
nibus enim de rerum quidditate, communi
standum est definitioni; nisi enim in defini-
tione conveniamus, actum erit de cæteris ad
essentiam sequentibus; & ideo rectè Aristot.
& S. Th. post *an est*, ponunt semper quæ-
stionem *quid est*, ante omnes alias de eadem
re quaestiones. En igitur sinceram Theolo-
gorum mentem. Exc. Rocaberti *rom. 1. lib.*
1. cap. 3. n. 250. ait, quòd tunc Papa deci-
dit ut Caput Ecclesiæ, quando *facit quod in*
se est, nempe cum utitur Consilio Cardinalium,
& Doct. Virorum, ubi errare non potest. P.
Suar. *lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 3. n.*
16. ait, tunc Papam definire ut Caput Ec-
clesiæ, loqui ex Cathedrâ, docere Eccle-
siam, loqui ut Magistrum, Doctorem, & Pa-
storem Universalem totius Ecclesiæ: (sunt
enim synonyma, ut etiam notat P. Carden.
rom. 4. diff. 1. n. 89.) tunc, inquam, quando
aliquid definit, vel approbat tamquam creden-
dum, aut observandum ab universâ Ecclesiâ. P. P. Val.
Val. *tom. 3. d. 1. quæst. 1. p. 7. §. 40.* post-
quam dixit Papæ definienti esse standum, ait:
Toties autem cum ipsi auctoritate uti creden-
dum est, quoties universam Ecclesiam obligat
ad recipiendum veritatem definitam; idem re-
petit quæst. 7. §. 42. ab initio; & quæst. 6. §. 39.
ait, tunc Papam definire ut Summum Pon-
tificem, & ut Ecclesiæ Caput, quando De-
cretum edit pro universâ Ecclesiâ, quòd vel-
let à Fidelibus indubitanter admitti. In idem
venit P. Gibalinus *rom. 2. lib. 5. cap. 3. n. 17.*
de Scientiâ Canonicâ, & P. Carden. *l. c. n. 95.*
M. Canus *lib. 6. de locis cap. 8. in respon-*
sione ad ultimum, *quando iradit aliquid,*
quod pertinet ad communem Ecclesiæ utilitatem.
P. G. Hurt. *d. 11. de Fide diff. 15.* ait, tunc P. G.
Papam loqui ut privatum Doctorem, quando
aliquid docet non intendendo obligare Ecclesiam
ad id amplectendum; tunc autem ut Summum
Pontificem, quando aliquid docet ut superior in-
tenden-

D ij

- tendendo obligare ad amplectendum illud.* Filg. in Censurâ Pont. pag. 58. ait ex P. Suar. tunc loqui toti Ecclesie, cum obstringit sub præcepto S. Obedientia omnes Christi Fideles, ut indubitanter admittant contentum in Decretis.
- Diez. Diez de Prado l. p. §. 1. Hispano idiomate fideliter in Latinum translato: Tunc Papa loquitur ut Doctor privatus, quando non utitur autoritate, quam habet ut D. Petri Successor, sed tantum autoritate particulari, quâ gaudet ratione sue prudentie, experientie, scientie; tunc autem ut Caput Ecclesie, quando loquitur ex Cathedrâ, seu quando definit, & determinat aliquid utens totâ autoritate, quâ gaudet ut Christi D. Vicarius, & Petri Successor. Herinx tom. 3. d. 6. n. 88. tunc Papam loqui definitivè, seu ex Cathedrâ, non tantum dum hoc explicite dicit, sed etiam dum implicite significat, ex. gr. cum significat aliquid ab omnibus credendum. P. Palao tom. 1. tract. 4. d. 1. p. 5. §. 3. n. 4. quando statuit aliquid a totâ Ecclesiâ observandum. P. Arldekin tom. 1. qu. est. 3. de author. Pontif. ait, tunc Papam autoritatè summâ definire, quando universæ Ecclesie aliquid proponit, & mandat sub anathemate recipi à totâ Ecclesiâ idem repetit quæst. 6. Torr. diff. 3. n. 40. Hispanè ait, quando docet universam Ecclesiam instruendo oves, ut discernant inter bona, & mala pascua. P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 8. quæst. 6. n. 23. quando declarat aliquid in universâ Ecclesiâ. P. de la Fuente Hurtad. diss. 1. quæst. 18. quando præcipit aliquid observandum autoritate Omnipotentis Dei, ac Vicarius Jesu Christi; & latè explicat, quid veniat per nomen Cathedræ. Caram. lib. 1. Theol. Mor. Fund. n. 254. cum toti Ecclesia declarat se definire articulos, quos vult teneri de fide, & ut tales suscipi, & credi à totâ Ecclesiâ, neque esse de essentia definitionis hujusmodi, quod illa accipietur. Vid. C. Bellarm. tom. 1. in Indice, verb. Pontifex, plurima, C. de Lugo, P. Bernal, P. Oviedo. P. Petrum Hurtado de Fide, & Neußer d. 1. quæst. 15. pag. 11.
- Circa secundum, undenam discerni possit, quandonam Papa loquitur ex Cathedrâ, quâdo ut Doctor privatus? Resp. 1. quâmvīs hoc dubium affinitatem habeat cum antecedenti, qualem habet effectus cum causâ, logè tamen aliud est; eo modo, quo aliud est, quid sit homo, aliud, undenam discernere possim hunc esse hominem; aliud est, quid sit differre specie Philosophicâ vel Theologicâ; aliud undenam discernere possim, hæc inter se differre specie. 2. Resp. quod cum hoc dubium, ficut & præcedens, apud neminem nequidem obiter, nisi post hæc à me scripta agitatū viderim, quàm à solo deinde P. de la Fuente diss. 1. quæst. 17. & 18. dicendum

puto, quod ex re, quam loquitur, ex modo loquendi, & ex personis, quas alloquitur, facile discerni possit, quandonam Papa loquatur, ut privatus Doctor, quando ut Magister totius Ecclesie. Sicut enim Papa ut Magister totius Ecclesie loquitur in materiâ fidei, quando vel dicit se explicare fidem, vel asserentes oppositum esse hæreticos, vel aliquam doctrinam anathematizat, vel jubet, ut omnes hoc credant; econtra loquitur ut privatus Doctor in materiâ fidei, dum ad aliquam Ecclesiam particularem, aut personam scribit, (nisi indicet se definire) ita Papa tunc loquitur ut Magister totius Ecclesie in materiâ morum, quando totam Ecclesiam alloquitur, & vult, ut indubitanter admittat, quod decernit, & obligat sub excommunicatione sibi soli reservatâ; tunc autem ut privatus Doctor in materiâ morum, quando defunt, vel omnes, vel pleræque circumstantiæ. Notat autem rectè Card. Bellarm. C. Bel. lib. 2. de Concilijs cap. 12. & ex eo Herinx, Herinx. quod quoties Papa loquitur per modū opinantis, ex. gr. cum dicit, Ita apparet, ita opinamur, est verosimilius, loqui ut privatum Doctorem; similiter cum aliquid assert præter illud, de quo tunc est quæstio, adeo ut Papa in rationibus, quas assert, sustineat potius personam Doctoris disputantis, quam Judicis definitis. Demum in ipsis etiam Decretis de fide, non verba, sed tantum sensus ad fidem pertinent, nisi de ipso verbo sit disputatio. Vid. Card. Bellarm. Herinx, P. P. Val. Val. II. cc. & Gravinam 2. p. tom. 4. pag. 153. M. Gr.

§. III.

Vera sententia.

SUMMARIUM.

Dicta Decreta sunt ex Cathedrâ, etsi opiniones disceptæ fuerint in Inquisitione, n. 15.
Doctores, n. 16.
Rejicitur aliquorum ratio, n. 17. 18. 19.
Tunc Papa loquitur ex Cathedrâ, cum vult Decretum suum ab omnibus admitti, n. 20. 21.
Finit Decretorum, n. 23.
Quantum profunt ea Decreta, si sunt à Papâ, ut Papâ, tantum obsunt, si non sunt, n. 25.
Inductio similitum Decretorum Papæ, ut Papæ, n. 26.

Ico, quod licet discussio propositionum N. ab Alexandro VII. & VIII. & Innocentio XI. damnatarum facta fuerit in Generali Inquisitione Romanâ, attamen Decreta illas damnantia non sunt ab illis, ut Capite Romanæ Inquisitionis, sed ab illis ut loquentibus ex Cathedrâ, & ut Capite totius Ecclesie Catholice.

Hanc sustinent quotquot post Innocentium